Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 997
Quelle:
Copyright:

Dies Panthaleonis finem dat mei laboris
Natalis domini M C quatuor tria X vno
Mathias de Chotzna Rector ecclesie in Ruchowano
Habet idem graphare septimo sui exilij anno
In Axpach domo quam carthusiensis inhabitat homo
Assumpte virginis in honorem hic degit mundi fugitans honorem.

Non satis adparet, an a *Turcarum*, an ab *Hussitarum* facie profugus, an hospitatus tantum, an Monachum indutus fuerit.

II. *fol.* 133. succedit Ejusdem *Apologium*, ut in calce vocatur, *ad Wilhelmum S. Theodorici Abbatem*, quod omissa *Praefatiuncula* incipit: *Vsque modo si qua me scriptitare iussistis* &c. et legitur in Edit. *Maur. Paris.* 1690. T. II. *col.* 525.

III. *fol.* 145. finem facit Συλλογη *Epistolarum* Ejusdem et Aliorum numero CXIV. In his Responsum *Hildegardis* ad *Bernardi* Epistolam, Epistola etiam *Abbatis de Eberbach* cum hujus Virginis Responso, quae, cum in Codice praeferat: *Frater B. Abbas*, facile *Bernardo* tribui posset ab iis, qui *Hildegardis Epistolas Colon.* 1566. 4. editas non consuluerunt, ubi p. 78. diserte *Eberbacensi E.* inscribitur hoc initio: *Magnificamus et glorificamus Christum pro uobis* &c. Praeterea *fol.* nobis 196. inmixtus est Epistolis Sermo sic incipiens: *Mediator Dei et hominum christus ihesus qua conuenientia et necessitate in reconciliatione humani generis VII. sancti spiritus donis uti voluerit qualiter possumus consideremus* &c. quem apud *Bernardum* non reperio, quamvis non uno loco hoc Thema obiter attingat.

Posticae Codicis Thecae adfixa est Membrana, qua anno 1391. *an sand Cholmans Abennde Agnes Henrici de Durrenpach Meyssaviensium* Scribae Vidua Bona sibi a Marito relicta testatur se vendidisse *Johanni* tunc Priori et Conventui FF. *Carthusiensium* in *Axpach.*

CCCCXXX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. f. per duas columnas scriptus a duobus elegantia certantibus, minio distinctus, et olim Κτημα Abbatiae *Montis Pomarii, Pomerii, Baumgartenbergae* in super. *Austria* Ord. *Cist.* est *Pars I. Sermonum Bernardi in Cantica Canticorum*, qui in titulo jam *Sanctus* compellatur, unde Codicem post annum 1174. scriptum fuisse oportet. Sermones hic comprehensi sunt L. qui usque ad XXIV. pari passu cum edit. *Maur. Paris.* 1690. T. IV. *col.* 1346. ambulant. Sermo autem XXIV. bis, ut ait *Mabillonius* in *not.* a *Bernhardo* pronunciatus bis etiam in Codice nostro positus est, diverso solum exordio et epilogo, quorum utrumque Editor in *not.* subjecit. Ab hinc igitur divergit Sermonum R.3076

 nume-